

actio, scilicet *omissa*. Interim ipsa omisio est actio. Quod illustrari potest. 1. *Ab exemplo imaginis divinae*; quippe quæ ante lapsum non duntaxat complectebatur veræ justitiæ & sanctitatis *ἰεδὶν*, Eph. 4. v. 24. sed etiam omnis vitiositatis & corruptionis *ἀρσὶν*, Sapient. 2. v. 23. Et illâ per lapsum amissâ, non tantum integritas naturæ, & perfecta totius hominis, omniumque ejus actionum cum Dei voluntate congruentia est sublata; verum etiam misera totius humanæ naturæ corruptio & depravatio est insecuta: quandoquidem Paulus peccatum originale non tantum describit *σερηνικῶς*, Rom. 3. v. 23. verum etiam *ἱετικῶς*, Rom. 5. v. 6. 8. 10. 12. 18. & passim.

41. 2. Declarari potest *à naturâ & proprietate Decalogi*; utpote qui postulat *tum* plenam naturæ humanæ integritatem, & perfectissimam obedientiæ præstationem; *tum* omnimodam vitiositatis naturæ absentiam, & vitiorum pravarumque operationum fugam. *Sola* integritatis naturæ & virtutum bonarumque actionum præsentia non implet legem, *si peccata non etiam vitentur*: & *sola* vitiorum pravarumque operationum *intermissio* non satisfacit legi, *si naturæ sanctitas, virtutesque & plenè bona opera non etiam adsint*: siquidem lex non solummodo *precipit bona*; sed & simul *interdicit mala*. Vide Psal. 34. v. 15. & 37. v. 27. Jerem. 18. v. 11. Amos. 5. v. 5. 6.

42. Sicut igitur & *absentia* bonitatis & sanctitatis naturæ hominis, ejusque cogitationum, dictorum & factorum, ad peccabilem hominis imaginem, quæ prævaricationem protoplastorum insecuta est, pertinet: & *carentia* sanctitatis bonarumque actionum hominis, est *etiam* peccatum contra legem: ita etiam *omissio bonæ actionis* est *actio vitiosa*: sicut *intermissio mala actionis* est *actio bona*: imò in genere *privatio opera, est actio animi*. Quod etiam docet Scaliger Exerc. 3. 15. Unde non tantum Deus illis pœnas minatur & infligit, qui *mala patrant*, Matth. 7. v. 23. & 13. v. 41. sed etiam illis, qui *bona intermittunt*, Matth. 7. v. 19. Luc. 13. v. 7. & Jacob. 4. v. 17.

43. Quia itaque infantes, quantumvis etiam baptizati, non præstant *plenè*, quæ lex ab ipsis postulat; Nam & justus peccat septies, Prov. 24. v. 16. & in multis labimur omnes, Jacob. 3. v. 2. Et nullus est homo, qui non peccet, 1. Reg. 8. v. 46. propterea committunt illi peccata omissionis, *uti dicuntur*, licet sine præelectione & consultatione. *Bona verò opera non facta, sunt malè facta*. Hæc de secundo argumento.

44. III. Sumo ex Psalm. 58. v. 4. & Esa. 48. v. 8. David inquit:
Alienati